

& Secula conficiunt , aliorum deinde pariter Deorum in honorem , tribus diebus , & noctibus totidem factis. Hi cum Felicitatis , immo Latitiæ publicæ causâ celebrarentur , non quadrabant ad ea *Salii* cum *Ancilibus* : quibus circumlatis inauspicata omnia fieri censebantur. Neque is , qui in hoc Numo adstat , ut *Salius* , tutulo integitur , vel clypeum incisum ad Ancilis formam sed rotundum defert , petaso atque caduceo , Mercurium imitatus , ac felicitatem præsignans. Alium itaque hic Sacerdotem adstare arbitraris , sæcularibus Ludis adhibitum , & forte Mercurii Popam.

DIALOGUS X.

De vestalibus Virginibus , & Fecialibus.

PUBLIUS.

I.

TAB. I.
N, XVII.

Qui præcox nimium in agnoscendo *Salio* fui , facili similitudine ad morem tironum deceptus , minus tamen desipere vereor , dum in proximo , Numo *Vestalem* cum lampade sedere existimo , quæ ex nomine describitur ; VESTALIS. An & hic aliud aliquid subest ? *TULL.* Juxta *Ursinum* quidem , a *Patino* recognitum , in gente *Claudia* p. 75. unde hunc Denarium excepi , falleris in nullo. Adversa ejus capite nitet fœmineo , floribus ornato , ut apparet , flore alio post cervicem conspicuo. Epigraphe : C. *ajus* CLODIUS C. ai F. *ilius*.

II.

Orat. pro
M, Cœlio.

In Virgine hic sedente *Ursinus* agnoscit *Claudiam* Virginem vestalem , de qua *Cicero* , itemque *Suetonius* , cum primis autem *Valerius Maximus* prædicant : Eam cum *Marc. Appius Claudius* Pater ejus (*Suetonius* Fratrem dicit) injussu populi triumpharet jam jamque a Tribuno plebis e curru raperetur , illico accurrisse , & es-

essedum Triumphatoris ascendisse, ut, ob reverentiam Sacerdotii Virginalis, Tribunus plebis obmovere nihil ulterius posset. Cui argute subscribit *Valerius*: , Igitur alterum triumphum Pater „ in Capitolium, alterum Filia in Aedem Vestae duxit, nec di- „ scerni potuit, utri plus laudis tribueretur, cui Victoria, an cui „ Pietas comes aderat. , Satis commoda ratio hic reddi videbatur, cur *C. Claudius* in suæ gentis decus Vestalem hanc Virginem argento suo signatam, Ævo transcripserit.

Cl. tamen *P. Harduinus* caput suum denuo movet, & vestalem quidem in hoc numo agnoscens, nomen interim adjectum haud simpliciter vult, sed cum latente mysterio legi, sic videlicet: *C. æjus CLODIUS C. ai F. ilius VESTAL. es I. nclusit S. optis.* Quamobrem? ut hic Tribunus plebis memoriam rei, ab uno celeberrimo Majorum gestæ, revocaret. Quisnam porro ille? & quando nam hoc egit? qua causa? qualia illa Septa? Hic alte Apollo noster obticescit. *PUBL.* Forte Viro celeberrimo in his omnibus ratio non defuit, hoc loco a se dissimulata, & alibi prodita. *TULL.* Id per me sit: mihi ex historia Vestalium, quam tibi per compendium nunc edicam, de Septis earum nullibi constat.

Vestæ nomine *Ignis* colebatur; & quoniam hic, ut aiebant, nulli rel comiscetur, atque nihil ex se producit, *Vestæ* cultui virgines deputabant Sacerdotes, Vestales dictas, quarum princeps audiebat Virgo maxima. Hæc Sacra jam apud Albam Longam erant, ubi *Rhea Sylvia*, Regis *Numitoris* Filia, *Romuli* Mater, vestalis fuit. Inde & *Romulus* nova in Urbe sua Vestales duas instituit; *Numa* duas addidit, quod idem etiam fecit *Tullus*. Ut adeo Virginalis collegium istud sex capitibus constiterit, non ante cessans, quam a *Theodosio M.* Imperatore, cum Sacerdotiis aliis omnibus paganis abolitum fuerit.

Legebantur ex puellulis *Patrimis* & *Matrimis*, quarum scilicet uterque Parens viveret: & quæ sextum ætatis annum jam egressæ, decimum nondum superassent. Ex hujusmodi puellarum numero, sive *Patriciæ* essent, sive *plebeïæ*, per Pontifices deligebantur Virgunculæ viginti, forte super eas missa, qua explorabant, quamnam earum *Vestæ* præ cæteris placeret. In quam Sors cecidit, Patriæ potestati statim subducta, in potestatem *Vestæ*

Lib. V.

c. 4.

III.

In Plin.

suo II. col.

445. not.

II.

IV.

V.

stæ tradita fuit. Unde quasi ob hujusmodi vim, cui obniti non licuit, phrasi Romana *capi* dicebatur. Erant porro ex parentibus clarioribus, qui patriæ, & religionis amore suas Filiolas ultro, ac sine sorte, ad obsequium Vestæ etiam cum æmulatione quadam offerrent: contra tamen frequentius accidit. *Suctonio* testante „ cum aliquando, in locum demortuæ, Vestalem aliam capi oporteret, multos ambiisse, *ne suas Filias in sortem darent.*

VI.

Vestalis puipe semel assumpta, debebat annis 30. Virgo persistere; ubi Primo decennio docebatur, altero Sacra egit, postremo novellas instruxit. Tum egredi Collegio suo licuit, & nubere, quod raro factum, cum plerumque improspere cesserit. Munera earum erant: I. Ignem perpetuum, ope speculi encaustici, singulis annis Calendis Martii e Solis radiis accensum, omni cura conservare; qui si extingueretur, toti id Urbi fatale habitum est, & illa, cujus id negligentia accidit, acerbis virgis a Pontifice Maximo, intermedio tenui velo vapulabat. II. *Palladium*, i. e. parvulam Palladis imagunculam, quæ sacrarium Urbis esse credebatur, custodire; quod nemini aliorum, præterquam Vestali, tangere licuit, immo ne quidem intueri. Postea tamen Cæsares, qui omnia immutarunt, illud Palatinas ad Ædes translatum apud se tenere. III. Statis temporibus Vestæ Sacra concubia nocte agere assistente unico Pontifice. Sin porro vestalem aliquam violari contingeret, is, qui fecit, flagris caesus est, usque dum emoreretur; illa viva in feretro, quasi defuncta esset, cum funebri pompa efferebatur, & ad Portam Collinam terræ immissa, velut in cellulam, ubi lumen, & quidquam ciborum, ac potus, in mensa stabant, ac lectulus erat, ibidem emori debuit, aggerere super injecto; cum eam vi necare, crimen in Vestam crederetur.

VII.

Habebantur enim hæ Virgines maxime sanctæ, quibus ubicunque in Urbe incederent, Lictor præibat, submovens turbam, ac etiam Consulem e via excedere jubens. Eximebantur omni Patria potestate, ac libere testabantur. Gaudebant magnis proventibus, unde splendide viverent. Curru eisdem vehi per urbem non licuit. Cum intercederent, capitis damnatum servare poterant. In Ludis publicis peculiarem, & honoratam orchestram occupabant. Acta publica, & supremas Tabulas, apud

Acerr.
Nov. P.I.
265. fqq.
Samuel.
Pitise, lex.

pud Prætorem, vel apud illas deponere, paris erat Authoritatis. Ornabantur infula vittata, i. e. genere quodam diadematis cum fasciis dependentibus; vestem non aliam, nisi albam cum limbo purpureo, deferebant.

Antiquit.
Tom. II.
voce *Vestalis*.

Imagines porro tam Numorum, quam Gemmarum, ac Lapidum, aliorumque monumentorum veterum, plerumque figuram exhibent velatam scemineam, cum lampade, aut face, de qua nescias, an *Vestam* ipsam, an *Vestalem* exhibeant. De *Claudio* aliquo, qui *Vestales* in *Septa* cœgerit, nihil plane mihi occurrit; nisi *Cl. Harduino* has *Virgines* in templum *Vestæ* inducere, idem fuerit, ac easdem *Septis* includere. Quo pacto *Claudiorum* non nemo *Pontifex Maximus* esse debuisset. Cæterum *Eruditiss. D. Liebe* geminos *Denarios Antonini Pii* vulgavit, in cujus utriusque *Aversa Vestalis* cum lampade simul, atque *Palladio* adstare videtur, nisi sit *Vesta* ipsa. Rationem desumit e *Spartiano*, qui de hoc Imperatore prædicat: „ Eum *Numæ* rite comparari, cuius jus *Felicitatem*, *Pietatemque*, & *Securitatem*, *Cæremonias*, que semper obtinuerit. „

VIII.

Goth. N.
p. 256. sq.
In Vita
c. 13.

PUBL. Exhibuisti mihi *Part. III. N. VII. Tabulæ II. dæ Nummum Veturii*, in quo *Fecialis* comparere creditur: atque *Dial. VII. n. 1: seqq.* eundem exponens, de *Fecialibus* dixisti, eorum fuisse bellum indicere, ac *Pacem*, *Fœdusque* ferire, postremum ad negotium porca adhibita, atque divisa. Hoc porro videre mihi videor in ultimo *I. mæ tuæ Tabulæ Numo*. Stant enim in eo duo *Viri* velati, superque *aram ardentem*, quæ inter eos *media est*, *porcam inversam pedibus tenent*. *Epigraphen dispersam*, cujus aliqua circum, aliqua supra, & infra descripta sunt; ego quidem sic colligo: *ANTIST. ius VETUS. FOEDUS. P. opuli R. omni QUM (i. e. cum) GABINIS. Anne iterum pecco? TULL. Minime. Edidit hunc Nummum D. Liebe p. 216. cum capite nudo Augusti in adversa, hisque titulis: IMP. CÆSAR. AUGUS. TR. POT. VIII. - - - Alium Præterea hujus Numi typum laudat ex Morellio, ubi epigraphæ circum per ordinem currit, nulla dispersione, atque Antistio prænomen Caii adjungitur.*

TAB. I.
N. XVIII

X.

Fecialium Collegium, pro quo alii *Fetialium* scribunt, longe antiquissimum, viginti Virorum erat præside *Patre patrato*. Gestabant

bant Sertum e Sagine, sive Verberna: quod herbae sacrae genus in loco quopiam Capitolii nutriebatur. Fuerunt sacri, & inviolabiles. Quomodo Bellum, hasta cruenta in agrum hostilem excussa, indixerint, & Pacem, ac Fœdus, porca dissecta, ferierint, ubi caduceum, non hastam præferabant, alias ex me audisti. Solis tamen cum Italiae populis Romani hunc morem servarunt: ad transmarinas, vel transalpinas Gentes, bello petendas, *Eccialem* aliquando ivisse non constat. Neque credas, *Cajum Antislivium Veterem*, cujus, ut Triumviri Monetalis sub Augusto, est hic Denarius, *Eccialem* fuisse. Originem quippe suae Gentis duntaxat a *Gabiis*, vel *Gabinis* fuisse, innuere voluit: cum quibus, dum per *Sextum*, Filium Tarquini superbi Regis expulsi, vehementer premerentur, Quirites ab antiquissimis retro temporibus fœdus percusserant. Tum namque *Antislivium Patronum* extitisse nobilissimum Gabinorum, *Dionysius Halicarnassæus* prodiderat. Nunc arripe Tabulam II. dam, cujus primus Numus huc pariter atinet.

XI.
TAB. II.
N. I.

PUBL. Ambas quidem, ejusdem facies pinxisti, in quibus tamen utrisque non parum adhæreo. Adversa quippe habet caput fœmineum ignotum, crinibus revinctis cum fastigiolo. Epigraphe. *M. arcus ARRIUS SECUNDUS.* Inter hæc supra caput sunt Literæ singulares: F. P. R. Aversa in medio exhibet hastam erectam: a dextris est Sertum oleagineum, aut laureum: ad lævam quæ sit figura quadrata, cum radiis aut stellæ, aut rotæ, desuper, velut in Ara, succenso igne, penitus ignoro. Semel & iterum occurrit hic Denarius apud *Patinum*. Primum quidem p. 37. in Gente *Arria*, desuntque literæ F. P. R. in quarum locum, ut attritarum - - - substituta: Rursum deinde inter *Omissa* p. 309. integre, ut eum pinxi.

XII.

Primo loco coniecit *Ursinus*, Hastam atque Coronam, forsitan designare Præmia militaria, quæ retulerit *Arrius Secundus*: qui juxta veterem inscriptionem, *Arrio Primo Fratri piissimo*, lapidem posuit. Nisi hi plane alii fuerint, cum ambo *Lucii* prænominentur. Figuram quadratam, & radiatam respicit ut clathros ligneos, quibus portæ, ac fenestræ muniebantur, putatque, *Arrium* fortassis, dum stipendia in bello mereretur, quamdam Castorum portam ab hostium irruptione strenue tutatum esse. Flam-

ma

mæ autem ardentis ibi nulla fit mentio, cujus etiam in hac sententia ægre rationem dederis: nisi his clathris ignem ab hoste injectum suspiceris.

Sed Cl. *Patinus* loco secundo aliter opinatus est. Literas XIII. quippe F. P. R. quas *Ursinus*, in Numo suo attritas, non agnovit, aliter legi vix posse arbitratur, nisi *Fecialis P. opuli R. omani*. Cui lectioni typum *Aversæ* partis non admodum dissonum judicat, qui utrumque munus *Fecialium* indicet. Belli scilicet indicendi per hastam erectam, quam inter hostium valla immittere solebant, ferrum, ignemque minitantes: quapropter & vultum ardens hic expressum videatur. Pacis deinde feriundæ per Sertum oleagineum. PUBL. Forte Cl. *Harduinus* hoc in Numo pariter ingenium suum tentavit? TULL. Nihil hujus mihi constat. Quem tamen imitari si liberet, caput fœmineum *Adversæ*, supra quod sæpe dictæ literæ positæ sunt, ansam præberet legendi: *Fortuna P. opuli R. omani*: scilicet Religione, quam ara flammans, Bello, quod hasta erecta, pace, quam Sertum oleagineum innuere posset, ut maxime constans. Sufficiat vero tibi, vidisse hunc Denarium, ac duorum virorum eruditissimorum opinionem de eo intellexisse.

BUBL. Pace tua sequentem adhuc Numum enarro, quia XIV. Numo XVI. Tabulæ prioris consimillimus est. Medium ejus TAB. II. occupat candelabrum, absque tamen lampade; cui vero ad læv. N. II. vam adstans *Apollinaris*, ut arbitror, Sacerdos in petaso, seu pileo alato, cum Scuto rotundo, quasi cereum imponit. A dextris cippus est elatus, vel basis quadrata, in qua lego: COS. ul XIV. LUD. os SÆC. ulares FEC. it. Quisnam hic Imperatorum notatur? TULL. *Domitianus*, e cujus argento 21. apud *Æn. vicum* In Domit. c. 4. hunc Numum excepi. Hoc de *Cæsare* disertè *Suetonius* infit: „ *Fecit & ludos sæculares*, computata ratione temporum ab anno, „ non quo *Claudius* proxime, sed quo olim *Augustus* ediderat. „ Paulo antea edixerat: „ Nam venationes, gladiatoresque & noctibus ad „ *lychnuchnos*, nec virorum modo pugnas, sed & fœminarum instituit. „ Cum itaque sæculares ludi antiquo instituto tres dies, noctesque, in Solis, ac Lunæ honorem fierent, otiose in hoc Numo candelabrum signatum non putes. Quod vero tu cand-

delam, vel cereum dixeras in manu Sacerdotis, *Argelatus* in *Mediobarbo* p. 136. appellavit Sceptum.

XV.

Ceterum Quirites insanum non crediderunt, quoties festam agerent sub dio, etiam Soli faces accendere, canente *Juvenali*?

✓ Satyr. XII.
91.

Cuncta nitent: *Longos* erexit *Janua Ramos*,
Et *matutinis* operitur *festalucernis*.

Epist. 69.

Quod quidem *Seneca* prudentior sic exprobravit. „ Accendere „ aliquem lucernas Sabbatis, prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. “ PUBL. Sententiam hanc suam Stoicus hic Philosophus ne nostris quidem temporibus persuadebit; quamvis hodie domos de die luminibus non ornemus. In Templis quippe recte ardent lumina, cum, ut imaginem aliquam pulchritudinis Dei, qui habitat lucem inaccessibilem, sensibus rudium ingerant, & illustrationem Fidei doceant: tum, quia elegantius nihil, quo Deo tribuamus honorem, præ lumine ardenti possidemus. Nocturna Lumina festiva, oleant licet, hilaritate tamen sua molestiam facile depellunt, maxime, cum absque his omnis reliqua festorum pompa undique squaleret. TULL. Ethica commentaria facere si libeat, unumquodque ingenium præsto erit. Numi vero Tabulae sunt historiae, coævis e Scriptoribus illustrandæ, quod amplioris industriae est.

DIALOGUS XI.

De Ludis nonnullis religiosis, eorumque Curatoribus.

PUBLIUS.

I.

VEhementer aveo, Numos, quos hodie primos expendimus, intelligere, cum, unico demto, peregrini sint mihi, nec e paupere penu mea profecti. Quos namque ego teneo, sæpe multumque lustratos, propius
me